

aetate et prope senex; memor Catonem senem Graecas literas didicisse, agnoscens etiam te, qui es mecum par aetate et annis, nunc Hebraicis literis te dare. Me, vt facis, ama, et si ad nos reuersus fueris, habebis me tibi deditissimum.

Vale ex rure Stepneptiano apud genitricem: quae adhuc viuit et 65  
belle senescit et de te saepius hilarem et iucundam facit mentionem.

In die sancti Eduardi: in festo suae translationis.

<sup>412</sup>424. FROM THOMAS MORE.

Deventer MS. 91, f. 198 v<sup>o</sup>.

LB. App. 252.

(London.)

(c. 21 June 1516.)

THOMAS MORVS ERASMO RHOTERODAMO S.

IVBES, charissime Erasme, omnibus de rebus me diligenter ad te scribere; quod quo faciam libentius eo imprimis animor, quod priorem epistolam meam intelligo placuisse tibi, amoris in te mei testimonio. At quum scribas eo praeterea nomine gratam fuisse, quod declareret virtutibus dicendi proficere, rursus profecto ad 5 silentium inuitas; nam quidni pigate litteras ad te dare, quas curiose expendi atque examinari videam? quippe quum profectus incrementa collaudas, rubore perfundor, conscius videlicet quantum cottidie ex illo nihil quodinerat ante decrescat. Quod certe necesse est accidat ei qui forensibus litigiis ab omni genere doctrinae tam 10 alienis (in quod pistrinum meae me vitae ratio detrusit) assidue distringitur; quibus ineptiis ita nunc vexamus, vt neque animus cogitationi suppetat nec verba sermoni. Quamobrem si verba pensieulas, si dicendi vires examinas, hoc est si soloecismos ac barbarismos numeras, tacere iubes; sin de rebus tuis meisque audire 15 qualibet oratione contentus es, accipe de pecunia primum vtpote re primaria.

Recepta epistola tua illico Maruffum accerso, dico te litteras ad Archiepiscopum scripsisse, quibus testaris opera eius te recepisse pecuniam. Proin 'Cedo,' inquam, 'aut pecuniam aut syngrapham 20 per quam Antwerpiae possit exigere.' 'Faciam' inquit, 'sedulo, postquam a Cantuariensi accepero; quam post tales Erasmi litteras illico numerandam haud dubito.' 'At Erasmus' inquam 'binas scripsit; alteras quas dixi, quas nisi pecunia aut syngrapha recepta vetuit tradi; alteras quas iussit negata pecunia substitui, quibus 25 Episcopum facit certiorem nullum hactenus nummum ad se per-

424. 23. numerandas MS.: corr. LB. inquam Nichols: inqt MS. 25. sub-  
stituit MS.: corr. Nichols.

424. 26. Episcopum] Cf. Ep. 388. 58 n.

uenisse. Tu ergo tecum delibera quid faciendum putas.' Homo,  
 vbi hoc audit, veritus offendit Episcopi, syngrapham protinus  
 scripsit deditque mihi, accepitque litteras tuas ad Episcopum; quas  
 30 festinato transmisit vna cum suis, quibus velut exigens gratias  
 scripsit se curasse iam olim perlatam ad te pecuniam, nunc demum  
 habere abs te litteras testes acceptae, et te misisse litteris Episcopi  
 inclusam apocopen, quae tibi solutam declararet—(hoc ego dixeram  
 quum flagitaret apocopen): proinde si dominationi videretur, iuberet  
 35 ei dissoluī qua in gratiam eius tamdiu caruisset. Archipraesul vbi  
 has litteras Maruffi legisset (nam ita euenit vt eas prius legeret quam  
 tuas), postea tuis resignatis, vbi apocopen nullam repperit, despicit  
 in solum atque ad pedes circumspicit, nuncubi excidisset aperienti.  
 Vbi nullam inuenit, iubet testes esse qui aderant, nullam apocopen  
 40 fuisse inclusam epistolae; deinde lectis litteris tuis desit apocopen  
 desyderare, doctus adhuc desyderari pecuniam; quam e vestigio  
 misit ad me, mandans vt quam celerrime quamque e tua re maxime  
 curarem ad te perforendam.

Postridie rediit Maruffus insaniens. 'Heus,' inquit, 'More, errasti  
 45 pessime; nempe litteras ad Episcopum, quas mittere debueras,  
 retinuisti, misisti vero quae maxime erant suppressimdae.' 'Quid  
 ais?' inquam; 'malefactum profecto. Vide quid est vnoculum  
 mittere tabellarium; nam ille in dinoscendis litteris lapsus est,  
 haud ego. Ea plane epistola tradita est tibi quam ille rectam dixit  
 50 ac certe scio credidit.' 'At cedo,' inquit, 'saltem nunc illam alteram  
 quae mihi fidem apud Episcopum redintegret; quae iam siue tuo  
 siue tabellionis errore prope interiit.' 'Atqui' inquam 'nimium  
 cautus hac in re fui, quippe gnarus occultandam epistolam quae  
 significabat deesse pecuniam, ratus esse quam retinueram, dum tuae  
 55 securitati studeo prospicere, in ignem miser inieci.' Ibi stomachari  
 ille ac furere, ego solari hominem ac benigne polliceri totam hanc  
 turbam me compositurum. Itaque significauit Episcopo Maruffum  
 scripsisse iam olim ad te vti suo nomine reciperes, quum crederet  
 id te facturum; te vero refugisse alienum aes, atque eo factum vt  
 60 ille receptam crederet, tu non acceperis scriberes. Quod si hoc  
 quoque commentum meum tua reuincat epistola, iam dispiciendum  
 est mihi aliud quippiam, ne meae apud dominum fidei iacturam  
 faciam, dum alterius labore resarcire. Caeterum Maruffi syngrapham  
 ei restitui; nam pecuniam apud alium magis e re tua collocaui.  
 65 Recipies enim pro qualibet libra nostrate Flandricae pecuniae xxxs.  
 iiiid.; ille dabat viiid. in qualibet libra minus.

33, 34, 37, 39, 40. apocopen MS.: corr. LB.

33. declararet scripti: declarat

MS. 38. excidissent MS.: corr. LB.

39. nullam post vbi LB: nullas MS.

50. ac LB: at MS.

52. Atqui correxi: atq; MS.

Dominus Cardinalis letissima fronte et litteras tuas et libros quos ante misisti recepit; ac perquam benigne pollicetur, quae spero praestitum. Basileam tibi vndique arridere gaudeo certe tua causa, cui vbique adesse cupio quod impense placeat; verum non 70 adeo tamen vt te prorsus nobis intercipiat, qui si commodo sumus inferiores illis, amore mediusfidius haudquaquam cedimus. Fasciculum illum litterarum perlegi hominum et doctorum et te qua dignus veneratione prosequentium; in quibus tamen nihil video noui. Neque enim ab his quicquam honoris in te profectum est 75 (quanquam plurimum), quod non vbique gentium, quibus vlla sit cura litterarum, fuerat exhibendum. Paceus neque rediit neque putatur adhuc redditurus; non dubito quin et intelligas illum a secretis esse Regi nostro. Cum Tunstallo post adeptum magistratum, quo seriniis praefectus est, versatum te et conuiuam agitasse intelligo. 80 De versiculis nostris nihil scribo; tu vide quid statuas. De epistolio nostro ad Dorpium percipio scire quid sentias. Vale, charissime Erasme. Clemens meus quam potest maxime te salutat, &c.

## 425. FROM WILLIAM WARHAM.

Deventer MS. 91, f. 143 v<sup>o</sup>.

Otford.

B. fo. d<sup>4</sup>: C<sup>2</sup>. p. 231: F. p. 84: HN: Lond. ii. 8: 22 June (1516).

LB. 261 and App. 65.

[The manuscript text is more important and plainly nearer to the original than that of the printed editions; since it contains a considerable passage omitted by them, and also a month-date which is in obvious accord with the letters carried back by Meghen (Ep. 412 introd.).

Otford is a small village in Kent, 3 ms. N. of Sevenoaks. Warham rebuilt the archbishop's palace there at great cost. Some portions of his work still remain.]

GVILIELMVS CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS ERASMO S.

ERASME doctissime, salutem. Quum non illaudati nominis aeternitatem per te sim consecutus, qua multi praeclari reges et imperatores carent et a memoria hominum penitus exciderunt, nisi quod tantum vix nominum eorum cathalogus, et id iejune quidem, fiat; non video quid satis sit in hac mortali vita quod pro immortalitate reddam. 5

425. TIT. GVILIELMVS . . . ERASMO S. MS.: *idem fere H: CHARISSIMO MEO ERASMO LONGE OMNIVM DOCTISSIMO B: EPISTOLA R. P. GVILIELMI ARCHIEPISCOPI CANTVAR. CHARISSIMO . . . DOCTISSIMO F.* 1. Erasme . . . salutem *om. H.* 2. sim *B:* sum *MS.* 5. quid *scripti:* quod *MS.*

424. 72. *Fasciculum*] Perhaps only Ep. 386 (cf. Ep. 412. 21), which was of a composite character.

77. *Paceus*] Pace was not allowed to return from his embassy (cf. Ep. 388. 94 n.) until the autumn of 1517.

80. *scriniis*] Tunstall was appointed

Master of the Rolls 12 May 1516; Brewer ii. 1882.

81. *versiculis*] Erasmus had evidently proposed to print More's *Epi-*

*grammata*; cf. Ep. 461. 20 seq.

*epistolio*] Cf. Ep. 388. 157 n.

83. *Clemens*] See Ep. 388. 173 n.